



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib.
XII**

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De confessore qui nummum project in terga confitentis, & poenitere
nolentis, cap. 35

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

prodest aliquem peccata confiteri, retenta voluntate
peccandi?

CAPUT XXXIII.

CÆSARIUS.

MODICVM prodest, quia Deus non projicit *Confite* iniquitatem, nisi homo prius malam projicere *necessum* voluntatem: qua projecta, sequitur quod *riū esse* dicit propheta Michæas: Deponet omnes iniquitates *proposita* nostras, & projicet in profundum maris omnia pec-*emenda*-cata nostra. Iubemur enim per Prophetam Ezechielē, *tionis*. longè projicere iniquitates nostras, non iuxta nos *Mich. 7.* ponere, sicut illi faciunt, qui ante pascha peccata sua *Ezec. 18* per confessionem, ut eis videtur, deponunt, & mox post octauam resumunt: Longè, inquit, projicite iniquitates vestras. APOLLONIUS: Estne melius sic confiteri quam omnino tacere? CÆSARIUS: Melius, id est, ut ilius est cum voluntate iterum peccandi confiteri, quam tacere. APOLLONIUS: Quare? CÆSARIUS: Quia peccator in confessione a confessore per pœnam, quæ peccato debetur, terretur, admonetur, & instruitur; & sit non nunquam, ut tam verbis quam exemplis, ab illo edocetus, ad se reuertatur, & de sua peruersa voluntate cōteratur. Quod si confessor iustus est, & pro confitente orat, Deus aliquando illum pro meritis eius illuminat. Vides quātus sit fructus in confessione? APOLLONIUS: Video & gaudeo, atque de his exempla requiro. CÆSARIUS: Quod quis a confessore territus, peccandi voluntatem deserat, exemplum hoc te doceat.

CAPUT XXXV.

QVIDAM veniens ad cōfessionem, cuidam sacerdoti discreto confessus est illi peccata quædam *Per con-* criminalia: admonitus ab eo, ut peccata *confessariū* fessa desereret, deserta defleret, & de reliquo emenda-*prudentē* riū viueret, respondit: Confiteri possum, sed peccata *pœnitentia-* dimittere non possum. Sacerdos hoc audit, *res in-* tiam illi iniungere recusavit. Oblatus est ei ab illo *terdum* nūmus, quem quidem sacerdos recepit, sed in recedē-*converti-* tis terga eūdem cum clamore proiecit, dicens: Pecunia *Aet. 8.* quæ regum sit in perditionem. Ille verò, tam de verbo

quam de facto sui confessoris territus, in castino rediit, & confessionem iterauit, penitentiam condignā suscepit & egit. Vides nunc quantum valeat prudētia confessoris? Si imprudens confitēs tali modo non fuisset territus, fortassis nec esset iustificatus. Audi & aliud exemplum, quantum confidentibus prospicere consilium bonum.

CAPV T XXXVI.

IN monasterio sancti Panthaleonis in Colonia Abbas quidam fuit, fratrem habens eiusdem ciuitatis conciuem, quem carnaliter diligens, saepe pecuniam monasterij illi occulte largiebatur, quam propriæ substantiæ admisces, & in ea negotiis, quo cunque perrexit, semper cum damno rediit, factaque est ei, licet non aduerteret, monasterij pecunia, tanquam ignis, & substantia propria quasi stipula. Et cum esset in mercationibus satis gnarus, atque circumspetior ceteris suis sodalibus, illorum prosperitatem suumque dispendium mirari non sufficiebat. Compassus eius infelicitati Abbas, cum semper ei daret, & ille non proficeret, immo semper minus haberet, tandem ad paupertatem deuenit. Cui Abbas, quid est frater quod agis? quare tam viriliter consumis substantiam tuam ad confusionem tuam atque meam? Respondit ille: Valde parcè viuo, mercatum meum diligètissime custodio, & quid sit quod circa me agitur penitus ignoro. Tadem in se reuersus venit ad sacerdotem, ci omnia circa se gesta aperiens per confessionem. Cui dixit sacerdos: Vtene consilijs meis, & citò diues eris; pecunia fratris tui furtum est, & ipsa substantia tuam deuorauit; de cetero nihil recipias ab eo, & de modo, quod adhuc superest, negotiare, videbisq; manum Domini super te bonam; quicquid autem lucratus fueris, medietatem fratri tuo reddes, de reliquo tu viues, & hoc tam diu facias, donec omnem pecuniam monasterij tibi datam illi restituas. Mira clementia Dei, obediens homo confessoris sui consilio, in breui adeo ditatus est, ut & ipse abundaret, & fratri recepta restitueret. Cui ciuin Abbas diceret: Vnde tibi iste diuitia frater?